



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Cur scripsit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

QVÆSTIO IV.

Cur scripsit?

Contra
hæreses di-
uinitatem
Christi ne-
gantes
scripsit.

§. 1. **V**T Cerintho aliisque hæreticis occurreret, Christi Domini diuinitatem negantibus. Irenæus l. 3. c. 11. contra hæreses. Hier. de Ecclesijs scriptoribus. Nouissimum omnium scripsit Euangelium, rogatus ab Asia Episcopis, aduersus Cerinthum aliosque hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Vnde & compulsus est diuinam eius naturam edicere. Sed & aliam causam huius scripturæ ferunt: quod cum legisset Matthei, Marci, & Luca volumina probauerit quidem textum hystoriae, & vera eos dixisse firmauerit, sed vnus tantum anni, in quo & passus est, post carcerem Ioannis hystoriam texuisse. Prætermissio itaque anno, cuius acta à tribus exposita fuerant superioris temporis, antequam Ioannes clauderetur in carcerem, gesta narrauit, sicut manifestum esse poterit ijs, qui diligenter quatuor Euangeliorum volumina legerint. Quæ res etiam *Q. P. O. V. I. C. E.* qua videtur Ioannis esse, cum ceteris tollit. Scripsit autem & vnâ epistolam, cuius exordium est: Quod fuit ab initio, quod audimus & vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostre contrectauerunt de verbo vitæ: quæ ab vniuersis Ecclesijs fides, & eruditus viris probetur. Reliqua autem dua, quarum principium est: Senior electa Domina & nati eius: & sequentia. Senior Caio carissimo, quem ego diligo in veritate: Ioannis presbyteri asseruntur, cuius & hodie alterum sepulcrum apud Ephesum ostenditur: & nonnulli putant duas memorias eiusdem Ioannis Euangelistæ esse: super quâ re cum per ordinem ad Papiam auditorem eius ventum fuerit, differemus. Quarto decimo igitur anno, secundam post Nerone[m] persecutionem mouente Domitiano, in Paphlagoniam insulam relegatus, scripsit apocalypsim, quam interpretatur Iustinus martyr & Irenæus. Interfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem à senatu rescisus sub Nerua principe rediit Ephesum: ibique vsque ad Traianum principem persecutus, totas Asia fundauit rexique Ecclesias, & confectus senio, sexagesimo octauo post passionem Domini anno mortuus, iuxta eandem urbem sepultus est.

Nec modo contra Cerinthum, sed Ebionem, Basilidem, & totam illam colluicem Christi diuinitatem in ipso Ecclesiæ exordio, negantem disputauit.

§. 2. Non desunt, qui eum præudentem varias hæreses, quæ Apostolorum tempora seculæ sunt, remedia pro cathartica parasse arbitrentur. Etenim quacunque causa, vel occasio fuisse putetur, mihi dubium non est, Dei imperio hoc opus aggressum; Ignorare namque non potuit, vires sibi, sapientiamque à Spiritu sancto dati, qua infallibilem profus doctrinam toti Ecclesiæ traderet.

Itaque Dei imperio, rogatus ab omnibus conscripsit, solus iam Apostolus, ita Hieron. præf. in Matth. Vltimus Ioannes Apostolus & Euangelista, quem Iesus amauit plurimum: qui supra pectus Domini recumbens, purissima doctrinarum fluentia potauit. & qui solus de cruce meruit audire: Ecce mater tua. Is cum esset in Asia, & iam tunc hæreticorum semina pullularent Cerinti, Ebionis, & ceterorum, qui negant Christum in carne venisse: quos & ipse in epistola sua Antichristos vocat, & Apostolus Paulus frequenter percudit, coactus est ab omnibus pene Asia tunc Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus, de diuinitate Saluatoris altius scribere: & ad ipsum, (vt ita dicam) Dei verbum non tam audaci quam felici temeritate prorumpere. Vnde & Ecclesiastica narrat hystoria, cum à fratribus cogeretur vt scriberet: ita facturum se respondisse, si in dicto ieiunio in commune omnes Deum deprecarentur: quo expleto, reuelatione saturatus, illud proœmium è celo veniens eructauit: In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum.

Inssu Dei
scripsit.

Seruo ad-
modum
scripsit.

De casu balnei, quo Cerinthus est oppressus, passim historici meminerunt. q

QVÆSTIO V.

Qua lingua scripsit?

§. 1. **C**VM in Asia ac præsertim Ephesi, vel in Patemo scripsit, consentiunt fere omnes Græca lingua fecisse. Nam Græcis Græcè prædicasse constat. Syrustextus hoc titulo ipso indicat *ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ ΤΗΣ ΚΑΘΑΡΗΣ ΚΑΙ ΑΠΟΚΑΛΥΨΙΣ*. Hoc est; Euangelium Sanctum, prædicatio Ioannis quam locutus est, & prædicauit Ionice Ephesi. Græcam linguam vocant Hebræi Ionicam, seu Iauan, sicut ipsam regionem; non enim Ionica proprie dicta, sed communi lingua scripsit. Addit vero Ecclesiæ Syriaca suo more: In nomine Domini, & Dei nostri Iesu Christi, obsequamus Euangelium Sanctum, prædicationem Ioannis prædicatoris. Epiph. hæresi 30. in Iudæorum Gazophylacio ait Hebraicam, inuentum, & suo tempore, idque Tiberiade, repetitum: itaque apparet in linguam Hebræam fuisse conuersum. Et credibile est non in veterem, sed recentem Hebræam, hoc est, Syriacam: Vetus enim iam tum vulgo non erat nota.

VERSVS I.

In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.

QVÆSTIO I.

An aliquid de verbo Dei cognorint Gentes?

§. 1. **A**Vgustinus lib. 7. confess. cap. 9. sub initio inquit. Procurasti mihi per quendam hominem inmanissimo typo turgidum, quosdam Platoniorum libros ex Græca lingua in Latinam refo: & ibi legi: non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis & multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: quod factum est in eo, vita est, & vita erat in lucis hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Et Eusebius de præparatione Euangelica l. 1. cap. 2. Bar. l. 4. cap. 3. T. Varia adducit, quæ hoc ostendere videntur, sed nullo modo. naturalis ratio eo non suffragatur, adducit, illi si quid cognouerunt, ex Iudæorum libris, hoc non est aut familiaritate hauserunt.

§. 2. Sed de toto genere ita sentiendum est. Sine reuelatione ne cogitari quidem potest hoc mysterium tanquam possibile, cum assensu probabili quia nullum in rebus creatis est eius rei fundamentum aut principium. imo nihil quod mentem humanam ad hoc cogitandum excitare possit, est enim omnino supra naturam.

§. 3. Intellectus creatus non potest etiam per speciem datam tanquam per medium in cognitum naturali virtute personarum multitudinem agnoscere. Ratio est, immediata illa per speciem cognitio, non potest esse non intuitiua, ergo clara Dei intuitio est, ergo nulli naturalis.

§. 4. Mysterium Trinitatis non est contra rationem naturalem. 1. quia veritas non est contraria ve-